



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Sect. 3. Summum hujus Obedientiæ Divi Iosephi argumentum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500

tunt: sed hæc est probatio fortissimorum ac perfectorum. Sic contigit Jobo, sic Tobia, sic aliis justis: obtulerat Holocausta Job pro filiis, ne fortè peccassent: optima Patris oratio pro filio ne peccet filius, aut si peccavit ut ei dimittatur, & tamen mediâ die post oblatum sacrificium domus corrui & filii pereunt. Redibat Tobias à mortui in medijs plateis jacentis laboriosâ sepulturâ, pro quâ etiam dimiserat prandium suum, nec eâ die comederat, & reversus dum festum labore corpus recreare putat excecatur: sic Divo contigit Josepho: obsequitur legi per quam religiosissimè, festum celebrat per quam devotissimè, nec ullus eo & conjugè suâ melius, aut tam benè, & tunc puerum perdit quo nihil ei tristius: si ergo videtis te cum benè egeris mala invenire, probatio justis est, ne doleas nec despondeas animum, sed Deo gratias age.

SECTIO III.

Summum hujus obedientiæ Divi Josephi argumentum.

XX. **P**erfecta tunc obedientia censetur, & verè est, ut docent Sancti Patres quando obeditur simpliciter absque discussione, celeriter & non ex desidiâ, hilariter & non ex tristitiâ aut necessitate, constanter non cedendo arduis occurrentibus, & perseveranter non deficiendò. *Verus obediens*, inquit Divus Bernardus de præcept. & dispensat. *Mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, & se totum intus colligit ut mandatum peragat imperantis, non attendit verus obediens quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus quod præcipitur.*

XXI. Præclarissimum vide hujus perfectæ obedientiæ si unquam fuit in Divo Josepho testimoniû apud Matthæum cap. 2. in ipsius fugâ cum Matre & Puero in Ægyptum ad monitionem Angeli: instabat pullulo Jessu, instabat & Virgini parenti sævus Herodes, & prope ferrum eorum cervicibus impendebat, quando Divo Josepho nil

minus cogitanti, *Apparuit Angelus in somnis dicens surge, accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi, futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum, & exurgens à somno fecit sicut præceperat illi Angelus.*

Hic verba singula, singulæ expendendæ circumstantiæ hujus facti, habent enim omnia quoddam obedientiæ pondus immensum. Itaque ponderandum. Primò, cui parat? Secundò, in quo? Tertio, quomodo? Quarto, quàm simpliciter? Quintò, quàm promptè? Sextò, quàm constanter?

Primò, Angelus est qui ei apparet, & qui per fugam proliq; matriq; consulere jubet: & ille ipse Angelus qui paulò ante nunciarat eum quem nunc salvare jubet, esse Salvatorem omnium. Divus Hieronymus in Matth. cap. 2. vers. 12. observat quòd adorato à Magis in cunis Domino, dum de reditu cogitant responsum acceperint in somnis, ne redirent ad Herodem, non dicitur autem à quonam acceperint istud Responsum, cum tamen ibidem versu immediatè sequenti explicite dicat Angelum fuisse qui in somnis apparuit Joseph, & monuit de viâ arripendâ: Quid hoc? censent Interpretes cum de Angelo nulla fiat mentio in responso dato Magis in somnis, uti in hoc casu Divi Josephi immediatè sequenti, ab ipso Deo immediatè fuisse responsum datum Magis: Rationem discriminis reddit Divus Hieronymus citatus, cujus verba refero, si fortè in eis aliquid non ita vulgare expendere liceat: *Responsum autem, inquit, Magis non per Angelum fit, sed per ipsum Dominum, ut meritum Josephi privilegium demonstraretur.*

Sed instabis, quare ex hoc quòd responsum datur Divo Josepho per Angelum, Magis verò per Deum ipsum, demonstratur meritum Divi Josephi privilegium? contrarium enim potius primâ fronte videtur. Verùm citò dicâ ex hoc meritum D. Josephi privilegium supra Magos ostenditur, quoniam scilicet Magis ipse Deus ex certa Domini autoritate recitum imperare debuit, Josepho autem non sic, etiam in re longè difficiliore, sed

satis fuit nutum per quemdam de ministris insinuare: consummata ergo Iosephi obedientia ostenditur, dum tam promptè à cubili surgit, ut in re tam arduâ obediatur ad vocem ministri, ac si à Deo ipso excitatus fuisset & iussus.

XXV. Secundò, jubetur exire de terrâ suâ & de cognatione suâ, deserere domum suam & omnia sua, peregrinari in regionem longinquam, & exulare in terrâ ignotâ, barbarâ & incultâ, ubi homines efferrati, ubi nullus timor numinis, nullus amicus, nullus notus, per viam asperam & desertam, in loco horrois & vastæ solitudinis, sine comitatu, sine divitiis, sine duce, sine idiomate: nonne hic tentatur ut fortis?

XXVI. Jubetur Pater fidei nostræ Abraham egredi de terra suâ & de cognatione suâ, & domo Patris sui Genes. cap. 11. & quia fecit sicut præcepit ei Dominus, mirè extollitur à SS. Patribus: sed quid hæc obedientia si conferatur cum istâ Divi Iosephi? Mittitur quippè Abraham in terram quam ei daturus erat & semini ejus possidendam, eâ quam actualiter possidebat longè meliorem: duxit deinde secum Loth filium fratris sui: tulit præterea uterque universam substantiam suam quam possidebant, & animas quas fecerant in Haran: Denique plurima & magnifica ei promissâ proponit Deus, ut cum alliciat ad iussa peragenda, quorum omnium nihil invenimus in hæc Divi Iosephi obedientiâ: nonne ergo tentatur ut fortis?

XXVII. Sed quandoquidem imminet Pueri periculum, quare cum moniti sunt Magi ne redirent ad Herodem, non est monitus simul D. Iosephus ut eis se adjungeret, & unâ cum illis in Perfidem secederet: hoc enim pacto (præterquam quod omnia securissima fuissent) fuisset illi melius & charissimis suis pignoribus: vel si manendum donec dies purgationis Mariæ expleantur, & puer Deo oblatuisset, cur rebus istis peractis non mittuntur in regionem eorundem Magorum ubi ab illis in honore & pretio habiti fuissent? ut impleretur, inquit, *Quod dictum est à Domino ex Ægypto vocari*

filium meum, Matth. cap. 2. vers. 15. Sed ut bene notavit Toftatus in hunc locum Matthæi quæst. 61. non est credendum ita factum quia sic scriptum fuit, sed potius è contra ita scriptum fuit, quia sic Deus fieri volebat: quærimus autem hic cur Deus ita voluerit potius quàm isto modo? Quare respondeo primò, ex Imperfecto nostro in Matth. Homil. 2. ad cum locum: *Post Ægypti olim grave delictum, post multiplices plagas divinitus irrogatas, Deus Pater omnipotens qui non in finem irascitur recordatus misericordie suæ, Filium suum misit in Ægyptum, ut que jam dudum sub Moysè debitas scelerum suorum penas exenderat, veniente ad ipsam Christo magna reconciliationis signum & spem accipiat.*

Respondeo secundò cum Patre nostro Sylveira tomo 1. in Evang. lib. 1. cap. 7. quæst. 7. numer. 37. Sciebat Dominus quod Innocentes ob sui causam ab impio Herode essent perimendi, pro tali ergo tempore ipse etiam ærumnosæ & molestissimæ peregrinationi, & exilio, se subiecit: Dum enim sui erant sub truculenti gladio tyranni, noluit ipse in divitiis Orientalibus, ac regniis voluptuari delictis: sed ut magis ad rem nostram accederem.

Respondeo tertio, Deum in hoc ad Divi Iosephi majus meritum attendisse, quod sine dubio excrevit in immensum per labores, quos sustinuit fortiter eundo in Ægyptum, & ibi manendo, quos minimè pertulisset, sicum Magis, vel ad illos in Orientem profectus fuisset.

Sed pro majori elucidatione laborum à Divo Iosepho in hoc itinere ex obedientiâ atrepto emensorum, tria statuenda. Primùm, quis fuerit locus ad quem se conferre debuit: Secundùm, quis ille à quo fugam coepit: Tertium, quæ distantia ab hoc ad istum? Et quidem quoad primum, locus ad quem perrexit, & in quo demoratus est, vocatur Civitas Solis, & colligitur ex Isaia cap. 19. vers. 18. Heliopolis autem quæ est Civitas maxima totius Ægypti est idem Græcè, quod Civitas Solis apud Isaia Latinè: ita Divus Anselmus,

Anselmus, Divus Paschasius, Hugo Cardinalis, Christianus Grammaticus, & Abulensis citatus.

XXXI. Quantum ad secundum incepisse fugam ab Jerusalem volunt Beda, Cajetanus, Jansenius, & ex nostris Guido Perpinianus & Thom. Beauxamis quorum fundamentum est quod Mattheus c. 2. v. 13. Adorationi Magorum subjungat statim hanc fugam, dicens: *Qui (idest Magi) cum recessissent ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, Surge accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Aegyptum, &c.* Ita ut ab illa monitione venerint ex Bethleem in Jerusalem ad Purificationem & Praesentationem, & ea peracta perrexerint in Aegyptum. Alii volunt incepisse à Nazareth quò reversus est post Purificationem, ibique monitum fuisse de fugà capessendà, ita Origenes, Divus Chrysostomus homil. 9. in Matth. Theophylactus, Anselmus, Euthymius in Matth. Suarez 3. part. quaest. 23. art. 4. disp. 17. sect. 1. qui citat Tatian. & Ammonium Alexandr. in harmon. Evang. Abulensis in cap. 1. Matthæi quaest. 57. & noster Sylveira tomo 1. in Evang. lib. 2. cap. 6. quaest. 17. probant hi suam sententiam ex Luc. cap. 2. ubi descriptionem Purificationis Mariæ & Praesentationis Christi in Templo, claudit his verbis vers. 39. *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaam in Civitatem suam Nazareth.* Et ad fundamentum prioris sententiæ respondent illud ecce in textu mox citato Matthæi non significare connexionem inter res narratas (cùm constet inter discessum Magorum & fugam in Aegyptum intercessisse illud tempus quod fluxit à reditu Magorum usque ad Purificationem, idest viginti quinque dies) sed esse appositum ad ligandum sermonem: & hæc secunda sententia meo videri verior & amplectenda.

XXXII. Quantum ad distantiam seu interpedinem inter Nazareth à quâ, & Heliopolim ad quam migravit: Abulensis mox citatus quem communiter sequuntur omnes, à Gazâ, quæ est contermina Regni Aegypti, usque ad Heliopolim numerat septuaginta leucas, quæ constat tribus millibus Italicis, in

quâ viâ sunt tantum viginti leucæ arabiles & competentis habitationis, reliquæ autem quinquaginta sunt vastissimum desertum. Brocardus autem à Gazâ usque ad Hebron ponit iter unius diei: ab Hebron usque ad Jerusalem octo leucas horarias: ab Jerusalem usque Nazareth viginti septem leucas: Conficiunt in simul centum quinque leucas, & iter unius diei, quibus addendæ viginti septem leucæ redditus ab Jerusalem post Purificationem in Nazareth, ac sic fecit centum triginta duas leucas, & iter unius diei. Divus Bonaventura de Meditat. Christi cap. 12. dicit quod ad istud conficiendum Cursor impenderet quindécim dies, ad minus duodecim.

Hanc viam confecit Divus Josephus, & licet pateret ei via facilior per mare in Aegyptum, elegit tamen ire pedes per viam terrestrem ex communi omnium sententiâ, tùm ne cum periculo pignorum sibi concreditorum diu expectare cogeretur in portu, usque dum navis aliqua solveret in Aegyptum, tùm quia maris navigatio fuisset non parùm tenero Infanti & Matri delicatæ ac inassuetæ nociva, saltém periculosissima.

Et jubetur excedere vix reversus ex Jerusalem in Nazareth, necdum saltém itineris satis longi qui viginti septem, ut diximus, leucarum seu octoginta & unius millium Italicorum labore recreatus, tantum iter arripere per alpèra, per montosa, per palustria, per locum horroris & vastissimæ solitudinis. Nox erat tunc in tempesta quieti danda & somno, non itineri, maximè verò Infanti & Virgunculæ Matri: Hyems erat & quidem seva, spirabant frigidi Aquilones, è nube gravidâ fortè nix cadebat densa, vel pluvia crebra, quæ & eos perfundebar, & vias reddebat invias: quomodò viam talem inerat Virgo? quomodò Jesus? quomodò Josephus ipse? sed quomodò tam longâ, tam difficilem? Jacebat Infans, jacebat & Mater in lectulo, quomodò ex eo surgere faciet & hanc & illum mediâ nocte, abrupto præproperè somno? facit tamen: Accipit propterea Puerum, & vel ut Matri solatio sit, vel ut tenelluli membra frigore rigentia

foveat, in ulnas desert: Nec equo portatur aut lecticâ, nec rhedâ vehitur qui cælos digito appendit. Portatur à Josepho stupente naturâ, stupentibus Angelis, dulce quidem pondus & amanti leve: sed tamen pondus, & hoc duce obedientiâ. O quoties in tanto itinere tramitem relinquere, & deflectendo per avia etiam longissimè viam requirere coacti sunt benè madidi, benè fatigati, vix panc satiati, solis fortè radicibus & herbis sylvestribus recreati. O miram obedientiam in re tam difficili! non obmurmuravit, non cunctatus est, non conquestus est de itinere longitudine, de importuno noctis tempore, de hyeme, de inopinatâ & improvisâ profectioe, de inopiâ ad expensas faciendas maximè per iter ignotum, desertum, barbarum, horridum & incultum. Ex quibus facilè est concludere si talem Vir Sanctissimus præstiterit obedientiam in tam arduis, quid fecerit in aliis.

XXXV. Quarto inquirendum, quomodo obedivit? quàm promptè? quàm simpliciter? quàm constanter? dixit ei Angelus: *Surge accipe puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & esto ibi usque dum dicam tibi, futurum est enim ut Herodes querat puerum ad perdendum eum.* Quid ad hæc Divus Josephus? in re mirè obscurâ, perplexâ, & difficillimâ, nihil locutus est, nihil interrogavit, nihil replicavit, nihil obmurmuravit. Sed *consurgens*, inquit Evangelista, *accepit Puerum & Matrem ejus nocte & secessit in Ægyptum, & erat ibi usque ab obitum Herodis Regis.* Hoc est non tantum fecit quod præcepit ei Angelus, sed etiam sicut præcepit. *Nisi enim*, inquit Divus Paschasius in hunc locum, *fiat sicut præcipitur, & non aliud quam præcipitur, & tum fiat, quando fieri præcipitur obedientia vera esse non potest.*

XXXVI. Promptitudinè obediendi huic cælesti monito probat illud participium, *Qui consurgens*, quod significat ipsum à strato in quo jacebat, continuo, & sublatâ omni morâ surrexisse, Puerum & Matrem accepisse, & eodem instanti iter arripuisse, quid promptius? Tam promptus fuit ut iret in Ægyptum seu in exilium, quam ut

rediret ex Ægypto in patriam suam, eisdem enim verbis Evangelista utrimque obediendi promptitudinem exprimit, ait enim hic & illic: *Qui consurgens accepit Puerum & Matrem ejus, & pro primo, secessit in Ægyptum, & pro secundo, venit in terram Israël:* imò promptior fuit ut iret in exilium: quia licet consurrexerit ut rediret ex Ægypto in patriam suam, sicut fecerat ut iret in exilium: Evangelista tamen observat quod profecturus in exilium non tantum consurrexerit, sed etiam quod ipsâ nocte acceperit Puerum & Matrem ejus, & secesserit in Ægypto. Esto enim dicatur hic quoque quod consurrexerit, non tamen quod ipsâ nocte acceperit puerum & Matrem ejus ut rediret in terram Israël, non tantum quia res non ita urgebat hic atque illic, sed etiam ut sciremus Sanctissimum Virum promptiorem fuisse obedire in contrariis & duris quàm in placentibus. O miram obedientiam!

Simplicitatem verò & constantiam in obediendo probant cætera. Nisi enim simplex fuisset & coeca ejus obedientia, quam multa poterat causari & objicere contra hæc tam extraordinaria mandata? neque, saltem in speciem, ad eò absurdè. Primò, enim poterat dicere si tu es ille Angelus qui mihi ante apparuisti, aut ab eo missus à quo ille, quomodo coherent hæc quæ tu mihi modo imperas, cum illis quæ ante, vel ab illo mihi ante dicta? si ille, quem jam vis me subducere Herodi, est opus Spiritus sancti, si est filius altissimi, si Salvator populi sui ut dixisti tunc, quid igitur timet Herodem id est hominem? quare ab hoc fugiat ille sub quo tremunt qui portat orbem, & ipsæ cæli columnæ? ille, inquam, cujus majestatem laudant Angeli, adorant dominationes, tremunt potestates? an non alia via, alius modus minus ignobilis se ab illo expediendi? an non potest efficere ut terra dehiscat, & illum vivum absorbeat? an non ex æthere fulmina in caput infandum evocare? an non è cælo accire Angelorum Legiones, quorum unus solus unâ nocte cætum octoginta quinque millia Assyriorum exercitus Sennacherib

Sennacherib potuit interficere? aut si non placet modò illa vis cœlestibus, cur non subtrahitur Infans captis oculis Herodis & Curialium ejus? id enim ei factu facile; & aliâ Deo viâ, eâque innumerâ perditum impediendi, coercendi, comprimendi, imò opprimendi. Cur ergo eligitur turpis fuga? sed cur in Ægyptum? in exulem terram, in extorre & arens solum? &, quod caput est, ab Idolis infame? denique si fugiendum in Ægyptum, cur non hoc indicatum cùm esset Jerosolymis ut parceretur labori quem suscepit ut rediret Jerosolymâ Nazarethum, ac deinde Nazaretho usque Ierosolymam, ut ex hinc pergeret in Ægyptum? cur ipsâ horâ quâ discedendum & non ante, ut daretur aliud quod tempus disponendi de rebus necessariis, & se ad tantum iter comparandi? hæc omnia sese objiciebant, mentem ejus pulsare poterant, sed vir justus perfectissimè Deo subditus nihil horum audit, tenet Dei verbum firmissimum, & sequitur præcipientem, ô qualis triumphus Dei de toto homine! de ejus judicio, cujus lumen ita retunditur, de voluntate cujus libertas ita subicitur: de omnibus potentiis & facultatibus ejus quarum actus ita ei consecrantur?

XXXVIII Sed quid tandem de constantiâ hujus obedientiæ? Audi, jubetur esse in Ægypto in exilio, quamdiu verò? *Esto ibi usque dum dicam tibi*, inquit ei Angelus. Ergo quamdiu? hoc ei manebit incertum & occultum; pendendum & semper erit ex Dei nutu, & boni Angeli ore, & dictis: & verò pendebimus, inquit, & in hoc casu & in omni vitæ cursu, stat enim in obedientiâ & vivere & mori: sollicitus minimè fuit ut quæreret quot mensibus quot annis hoc exilium, hæc mala, hæc afflictio durabunt, nec id ei Angelus aperuit, sed dixit solum, *Esto ibi usque dum dicam tibi*. Nec ipse inquisivit. Non voluit Deus ipsum cognoscere quanto tempore ista afflictio duratura esset, ut esset paratus (pro ut de facto fuit, cum nihil de futura ejus duratione inquisierit) ad eas per totam vitam si ita ei placuerit tolerandas, ut sic licet uno tantum die durasset afflictio, meritum

tamen ipsius non esset unius diei, sed totius vitæ.

De justo in brevi consummato dicitur Sapientiæ cap. 4. *Quod consummatus in brevi expleverit tempora multa*, quia nimirum jam seipsum Deo ad labores multorum temporum obtulerat, eosque jam mente & animo acceptarat & pro Deo exantlare præsto erat, si sic ei placitum fuisset: unde nec eorum meritis privari debuit, per accidens enim fuit quod abbreviatâ ejus vitâ eos non tolerarit: Jam enim animo paratus erat ad eos, multis temporibus sustinendos. Ita etiam Divus Josephus, licet exilium illud, illiusque incommoda non nisi per septem annos pertulerit, habuit tamen meritum immensi temporis, quia fuit præsto illud pro Deo tolerare sine mensurâ, quamdiu voluisset Deus.

Patet ergo ex his quàm verum sit quod Beatissima Virgo D. Brigittæ lib. 6. Revelat. cap. 39. revelavit, Conjugem suum Josephum hæc verba ferè continuo in mente & ore habuisse, *Vitam vivam & adimpleam voluntatem Dei mei*.

Sed quid miramur ipsum Deo obedientem, miremur potius Deum ipsi obtemperantem. *Erat enim subditus illi*, Luc. c. 2. vers. penult. & quod voluerit Deus Pater & filium suum sibi per omnia æqualem & consubstantialem & filii sui Matrem, ab hujus Sanctissimi Viri nutu & ore pendere, in cujus rei argumentum ipsi, non Mariæ Angelus Domini apparuit, dum eis fugientem & dum à fugâ redeundum.

SECTIO IV.

Obediuit Divus Josephus hominibus in omnibus.

Divus Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 1. quærit utrum homo teneatur alteri homini obedire, & responderet eodem art. in corp. his verbis, dicendum quod sicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus; ita etiam operationes humanæ procedunt ex humanâ voluntate: Oportuit autem in rebus natura-

H h h

libus